



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

Angelis, Paolo de

Roma, 1621

Cap. VII. De tertia sacelli parte interna, cum omnibus, quae ibi existunt. Et primum de his, quae extra apparent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13873

DE TERTIA
SACELLI PARTE
INTERNA;

Cum omnibus, quæ ibi existunt: & primum de his, quæ extra apparent.

Caput VII.



ACTENVS primam, & secundam partem internam descripsimus, adhuc tertia consequitur ad meridiem respiciens. Quia verò in huius partis medio

aditus ad Sacellum adest, operæpretium erit, si caput assignabimus, simul indicantes, quæ intrinsecus, atque extrinsecus videntur. Igitur ad Sacellum per secundam Basilicæ nauem pergimus ab Aræ maximæ dextra, & amplius arcus aditum præbet, in cuius fornice tholus se attollit cum laternula, historijs hic attingendis exornantibus. & quidem in tholi apice perpolitè depictus Sanctus Spiritus apparet cum Angelorum myriadis: in circumferentia verò hæc annotantur. ASTITIT REGINA A DEXTRIS TVIS IN VESTITV DEAVRATO: CIRCVNDATA VARIETATE.

Ex altera parte Sanctus Hieronymus cernitur, sub quo talia verba leguntur. VIRGO PERPETVA. MATER, ET VIRGO.

A Ab alia Sanctus Athanasius, cui hæc adhærent. EX VIRGINE SOLA CORPVS CHRISTI ORTVM TRAHIT.

Athan. hom. de Incarnat. verb. & corporali ad nos Aduentu.


Ex altera Sanctus Gregorius Nazianzenus, infra quem hæc apparent. QVI SANCTAM MARIAM DEIPARAM NON CREDIT, EXTRA DIVINITATEM EST.

Greg. Nazian. epist. ad Claud. Presbyt. seu 10 orat. 51.

In quatuor figuris huius fornices, cui speciem referentibus, quatuor Summi Pontifices sunt depicti, nimirum Sanctus Gregorius Magnus, Sanctus Martinus Primus, Sanctus Gelasius Papa, & Sanctus Leo Quartus. A maiori naue, dum ad Sacelli aditum tendimus, amplius arcus erigitur quatuor marmoreis columnis innixus, supra quem Beatæ Virginis transitus historia notatur, vbi etiam Pauli Quinti Pontificis Maximi insignia adsunt, cum scheda his verbis impressa.

PAVLVS QVINTVS PONTIFEX
MAXIMVS.

Atque hinc ad paruum tholum est iter, velut adhuc significauimus. Pavimentum ex vario marmore construitur, velut albo alabastrite flauescenti, aureo albo alabastrite flauescenti, aureo textili persimili, lyncei glareæ lapide vario, tænijs nigris, atque alijs pretiosis lapidibus, & miram artem exprimit fornicem representans.



RELI-

Icon. Damasc. 1. 1. Greg. lib. 1. Reg. cap. 1.

Icon. in Apo. li. ad Romas.